

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

§. 6. An gratiae augmentum sit effectus sacramenti eucharistiae?

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

§. 6. An Gratia augmentum
sit effectus Sacramenti
Eucharistia?

S Bonaventura *Dist. 12. p. 2. a. 1. q. 3.* primum huius Venerabilissimi Sacramenti effectum docet esse, non *de nouo vnire*, sed iam *vnitas magis vnire*, reddendo feruentiorem, vt carbo ignitus, & fortiorem, vt bonus cibus: Ratione primi, adiuuare ad consumendam peccati venialis rubiginem, ratione secundi adiuuare ad vitandum omnia scelera: Ratione vtriusque valere ad augmentum virtutum, & maximè charitatis, quæ est vinculum, non quantum ad essentiam, sed quantum ad feruorem, qui quotidie minuitur per venialia, & idè per hunc cibum restaurari debet. Hic S. Doctor non tantùm omittit, sed planè videtur negare augmentum gratia sanctificatis effectum esse huius sanctissimi Sacramenti, contra quem propterea fortiter insurgit Vasquez *disp. 203. c. 1.* ostendens ab Ecclesia definitum iam esse, per hoc Sacramentum ex opere operato augeri gratiam habitalem in nobis, ac proinde in nobis effectum suum ipso operante nos magis iustificari. Lubens dictam Ecclesie definitionem agnosco, nego verò S. Doctorem sentire

C 2

con-

contrarium. Docet *dist. 1. p. 1. q. 2. 3. & 4.*
atque prius dubio primo literaliter de ratione
Sacramenti Nouæ legis esse, *significare & cō-*
ferre gratiam q. 5. Discrimen inter Sacra-
menta veteris ac Nouæ legis esse, quod in
Sacramentis Nouæ legis quantum ad ope-
ra operata sit iustificatio, non tantum per
accidens, sed etiam per se, non autem in
Veteribus excepta Circumcisione, *dist. 8.*
q. penult. ad 5. Rem huius Sacramenti non
dici Corpus Mysticum, ratione partium, sed
ratione vnionis, & illam vnionem esse gra-
tiam & effectum Sacramenti. Imò non so-
lum gratiam 2. sed 1. etiam quandoque per
hoc Sacramentum conferri expressè tradit
dist. 12. p. 2. a 1. q. 2. Quicquid in opposi-
tum referat & ita s. Bonauenturam *dist. 9. a.*
2. q. 3. & dist. 12. p. 2. a. 1. q. 2. sequatur idem
Valquez *disp. 205. c. 4.* Non limitamus ait s.
Doctor cit. *dist. 12. largitatem Dei, quin in*
hoc Sacramento possit, & aliquando faciat re-
missionem omnis culpæ (venialis scilicet &
mortalis, quod sine gratiæ sanctificantis in-
fusionem fieri nequit) quamuis secundum so-
rum commune, & generalem rationem institu-
tionis, effectum habeat in solis iustis. Quo etiam
pacto seipsum s. Doctor satis explicat, quo
sensu dixerit relata *dist. 9.* Ad sufficientem
preparationem, pro assequendo fructu hu-
ius Sacramenti, necessariam esse veram exa-
minati-

minationem, & contritionem, siue iudicium poenitentiae, nempe secundam generalem Institutionis rationem. *Dist.* igitur 12. p. 2. a. 1. q. 3. primum SS. Eucharistiae effectum facit, *magis vnire*, non excludendo sed supponendo augmentum gratiae, & hoc idem, quia recensere vult eos solum effectus, qui sunt huic Sacramento peculiare & proprii, qualis non est collatio gratiae vel 1. a. vel 2. a., alijs etiam Sacramentis communis. Quam etiam ratione, sed expressiori modo, *dist.* 8. p. 1. *dub.* 2. enumerando eiusmodi effectus, dicit hoc Sacramentum non solum gratificare, sed etiam multipliciter adiuuare, vt cibus, incorporando, fortificando, delectando, augendo fidem, spem & charitatem, & ad remissionem venialium.

§. 7. An Corpus Christi descendat in ventrem hominis aut bestiae?

Sentiunt comuniter Catholici DD. Corpus Christi statim finita Consecratione, etiam ante & extra omnem usum praesens esse in hoc Sacramento, atque tam diu permanere, quam diu permanent species panis & vini, ita vt sub eis possit substantia panis & vini conseruari si adesset. Aduersus hanc doctrinam scribit Tannerus *disp.* 5. q. 4. d. C; 2 S.